

Ludovicus Hungaria et Bohemia
rex, Sigismundo primo regi Poloniae.

50

Serenissime princeps patrie noster charis-
sime. His diebus ad nos literas dedit
serenissimus archidux Austriae frater et
sororius noster charissimus, quibus si-
gnificat de negotio Prutenico, se mul-
ta tractasse cum reverendissimo cardinale
Salzburgensi, et illustrissimo duce Saxo-
niae, qui cum caesarea maiestate et no-
biscum iudices in hac causa sunt ele-
cti, et ita ipsis visum fuisse scribit,
ut ad quintum decimum diem à festo
sancti Michaelis archangeli, in loco qui
maiestati vestrae et nobis commodior vi-
deretur, conveniremus, atque huic negotio
vel per pacem perpetuam, vel saltem
per inducias aliquot annorum, finem im-
poneremus, multisque de causis rem hanc
non esse differendam, maxime cum induciae
inter maiestatem vestram, et illustrem ma-
gistrum Prussiae factae, paucos post men-
ses expiratura sint. Asserunt praeterea
maiestatem vestram ea vi compromissi-
stare debere huic iudicio arbitratis inter-
mino, quem iudices ipsi elegerint. Quae
omnia maiestas vestra ex literarum praes-
fati archiducis exemplo presentibus incluso,

darius

152
clarius intelliget. Quare maiestatem ve:
stram rogamus, velit nobis quam pri:
mum significare, quid in ea re factura
sit, consulatque nobis quid nos quoque
archiduci respondere debeamus, nos enim
si rerum nostrarum et temporis ratio
patietur, nihil quod ad eam rem per:
tinebit, negligemus, sed in his omnibus
consilium maiestatis vestre expectamus,
quam felicissime valere optamus. Datum
Buda decima octava die Julij, anno Do:
mini millesimo quingentesimo vigesimo
quarto, regnorum nostrorum anno nono.